



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 83. Fuxensis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

inde profectus, præstituto tempore ante urbis portam sibi designatam substitit. Ast Ludanus conjurationem edoctus, tam solerter cives a portarum accessu arcebat, ut nemine tumultum ciente Grittus rursus Athesim transire, ac Montaniam repetere compelleretur, eum comitante Avogaro Comite, cujus Filius captus, Brixiam deductus est. Nihilominus Galli conjuratorum potentiae cedere cogebantur; hi enim cum Ludanum suppetiis destitui intelligerent, Venetorum copias revocarunt, quæ scalis ad tres urbis partes applicatis introductæ fuerant: Ludanus vero cum copiis suis ad arcem confugerat. Postmodum recuperata Brixia, Bergomum, ac potissimæ urbes a Gallis captæ, Venetorum imperio sese subjecerunt, eosque apertis ultro januis exceperunt.

§. LXXXIII.

Fuxensis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus.

Marian. lib. 30. n. 34.
Guicc. l. 10.
Buonacurs. in Diar.

Quamprimum Gasto Fuxensis per nuntium a Ludano Comite missum Venetorum irruptionem intellexerat, securitati Bononiensis urbis consulturus, ibidem trecentos lancearios, peditumque quatuor millia sub Duce Lautrecco reliquit, ipse vero inde profectus eodem die

Stella-

Stellatam pervenit, nec nivibus, nec gelididis, hisque assiduis nebulis itineris contentionem remorantibus; demum centum quinquaginta lancearios, ac quingentos pedites ab exercitu suo sejunctos Ferrariensi urbi imposuit, ne Fœderati ejus absentia in rem suam versa, civitatem ex insidiis caperent; ipse vero ad Molendini pontem progressus, Mantuanam ditionem pertransiit, cum vero a Mantuano Duce transitus veniam petere neglexisset, hic palam conquestus est, nihilominus tamen Fuxus, postquam Balionem Veneti exercitus Præfectum apud *Turrin-scalæ* substitisse compererat, absente cælo sese eo contulit, nec tamen Balionem reperit, utpote qui ante duas horas castris inde motis discesserat, de novo copias suas Gritto juncturus.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Petr. Delph. f. 10. epist. 58.

§. LXXXIV.

Venetorum exercitus sub Duce Balione cæsus.

Grittus recta Alberæ pontem petiit, Athesim trajecturus; ast cum Brixiâ contenderet, Gasto eum aggreditur, atque in Balionem tanto impetu irruit, ut is fugam cum suis copiis Athesim versus capeffere compelleretur, aliis suorum, iisque fortissimis qua cæsis, qua vulneratis. Capti fuere Rangonius Comes,

X 8

&